



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 34. Sfondrati Cardinalis liber, cui titulus: Nodus Prædestinationis &c.  
ejusque fata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

liquit summaria articulorum Confessio-Sæc. XVII.  
 nis Augustanæ, præter quosdam ser-A. C. 1697.  
 mones, & opuscula Ascetica. VI. Pe-  
 trus Müller scripsit de nummo Confes-  
 sionis, de annulo pronubo, notas ad  
 Senecam de tranquillitate animi, &  
 diatriben de studio Juris tractandi.

§. XXXIV.

*Sfondrati Cardinalis liber, cui titu-  
 lus: Nodus Prædestinationis,  
 ejusque fata.*

Postremum, quod celeberrimus Car-  
 dinalis Cælestinus Sfondrati elucu-  
 braverat, opus erat, liber, cui titulus:  
*Nodus Prædestinationis ex sanctis literis*  
*SS. Augustino ac Thoma dissolutus.* Cum  
 autem vitæ suæ dies ad præstitutum  
 terminum properare sentiret, hujus a-  
 liorumque scriptorum editionem P. Joan-  
 ni Damasceno Ord. FF. Minorum S.  
 Theologiæ Magistro promovendam  
 commisit, ipse vero non modo Theolo-  
 gorum, sed etiam Sacræ Inquisitionis  
 approbationem die vigesima Julii anno  
 priori impetraverat: ast post Sfondrati  
 obitum Innocentius XII. hoc opus Car-  
 dinali Albano credidit, cujus etiam  
 necnon Cardinalis Leandri Colloredo  
 opera præfatus Pater hujus libri præ-  
 lum hoc anno absolvi curaverat: Vix

*Abregé  
 chron. de  
 l'Hist. Eccl.  
 & tom. 3.  
 Abregé de  
 Hist. t. 12.  
 pag. 594.*

Sæc. XVII. autem hic partus in publicam lucem  
A. C. 1697. prodiit, cum illico plures Theologi pro  
 suo quisque studio eum aggredi certa-  
 rent; opponebant aliqui, Authorem  
 nimis aperte favisse Molinistis, horum-  
 que opinionem perperam attribuisse SS.  
 Augustino & Thomæ, carpebant alii  
 scholasticam methodum inconsulto fuisse  
 neglectam: aliis hic Author videbatur  
 asserere, statum infantium sine Baptis-  
 mo decedentium non esse adeo mise-  
 rum, cum nec Deum offendant, nec  
 omni felicitate careant, infideles quo-  
 que Deum nec cognoscere, proin nec  
 offendere &c. Præ ceteris vero latius  
 ungues suos exerebant Jansenistæ, qui  
 a Cælestino tantæ auctoritatis Viro li-  
 brum Jansenianæ doctrinæ recta oppo-  
 situm vulgari indignantes, eum coram  
 Sede Apostolica, Episcopis, atque Uni-  
 versitatibus denuntiarunt, ac condem-  
 nari petierunt.

## §. XXXV.

*Idem liber a quibusdam Franciæ Præ-  
 sulis Romæ denuntiatus.*

*Coll. Jud.  
 Argentre  
 t. 3. p. 394.*

Insuper in Galliis quidam Præsules (id  
 vel ex invidia vel vindicta ob Re-  
 gale Sacerdotium Romano Pontifici  
 assertum impugnatasque Ecclesiæ Gal-  
 licanæ opiniones, fuisse factum, puta-  
 bant